

mat; Sed in latitudine sua accepti, prout à Substantia & Acciden-
te abstractum, adæquatam Metaphysicæ objectum constituit.
Disjuncta est proprietas, quia non simpliciter, sed sub disjunctione
cum Ente recipitur, non enim, quod mox apparebit, omne Ens
est idem, nec omne Ens est diversum; Sed omne Ens esse aut Idem aut
Diversum asserit *Arist. 10. Metaph. c. 4. t. 10.* inquiens: *πᾶν ὄντος*
ἢ πᾶν ἢ τὸ αὐτὸ ἢ ἄλλο. *Mediata est*, nam non ita nudè sed median-
te Unitate competit Enti esse Idem vel Diversum, sicq; quasi quod-
dam Indivisionis est consequens Idem vel Diversum esse, docente
Scheiblero lib. 1. Metaph. c. 8. §. 1. Et *Suarez Diss. 3. sect. 2. §. 12.* I-
dentitatis doctrinam ad Unitatem refert, suæq; opinionis autho-
rem citat *Aristotelem lib. 10. Metaph. rr. 9. c. 5. §. 6.* *Prima est*, quia
ex Unitate fluit proxime & à reliquis mediatis Affectionibus En-
tis quasi præsupponitur; ita ut simplex vel compositum, Totum
vel pars; Universale vel Singulare Ens dici nequeat, nisi sit vel
Idem vel Diversum.

III. Definimus *Idem, Ens quod à se vel ab alio non est divisum.*
Definitum quo sensu capiatur jam vidimus. *Definitio* resolvi potest
in *Materiale & Formale.* *Materiale* habet commune cum omnibus
alijs affectionibus unitis juxta & disjunctis, Illud autem Ens est
reale & positivum. Equidem & *Conclusio*, quæ Entis rationis est,
vocatur *diversum* quid à suis præmissis in *Definitione Syllogismi*
ab *Arist. lib. 1. Top. cap. 1.* Sed non nisi analogicè & improprie, pro-
prie enim sumptum *Idem & Diversum* Ens ut materiam suam sem-
per includit. *Formali* verò, quod in distinctione Affectionum
præprimis est attendendum, id enim si *diversum* est, *Definitio* na-
scitur *diversa*, ubi autem *diversæ* sunt *Definitiones*, ibi *diversæ* res,
colligit *Aristot. VI. Topic. c. 1.* Sicut ex opposito *Identitas* *Defini-*
tionis rei Identitatem arguit, teste eodem *IV. Metaph. c. 29.* gaudet
proprio, scilicet quod à se, vel ab alio non est divisum. *Idem* enim
formaliter accipi potest vel *fundamentaliter & negativè*, sicque
notat non *diversum à se*, & sic *Ens Idem* sibi dicitur, quod à seipso
non est *divisum*, nec *diversum à se*; vel *positivè*, quatenus *Ens* ad
aliud cum quo *convenientiam* habet refertur, sicq; *idem* cum eo
deprehenditur. Vid. plurà de hâc distinctione apud *Suarezium Diss.*
7. sect. 3. §. 2.

IV. Sunt